

F.H. 52 (11)

(Kant. 11)  
(Acc. f. 1882/8)

Za  
5020

FU





2

**RECTOR**  
**UNIVERSITATIS LIPSIENSIS**  
Ad Justa Funebria  
**THEOLOGO MAGNO**  
**DN.**

**JO. BENEDICTO**  
**CARPZOVIO,**

S. Theologiæ Doctori, & Professori  
Publico celeberrimo, Facultatis Theologiæ Se-  
niori & jam Decano, Consistorii Electoralis & Ducalis Af-  
fessori, Canonico Misnenensi, Alumnorum Electoralium  
Ephoro, Academiae Decemviro, Collegii Majoris  
Principum Collegiato, Pastori ad S. Thomæ  
benè meritissimo,

*hodie XXX. Martii MDCIC.*

solvenda

**CIVES SUOS INVITAT.**



Pse octavus hic labitur dies, quod a Deo evocatum ex his terris venerabilem Ecclesiae Antistitem, D. Georgium Lehmannum, ea, qua decuit, Solennitate sepeliremus. In quo officio supremo occupati, simul vota, quae antecedentibus diebus feceramus, pro salute Magni Theologi CARPZOVII nostri aegrotantis, diligentius sollicitiusque repetebamus, quo in majori vitae discrimine positum noveramus. Enimvero Numen supremum preces nostras adeo acceptas non habuit, ut ea vespera nobis illum auferret. Quam tristis nunc est in hac urbe Ecclesiae viduae facies! Quam misera & infelix ejus conditio, summis Theologiae Vatribus privatae! Ad quas incitas Venerabile Academiae Collegium Theologicum redactum est! Ille octoginta annorum Senex, etsi quiete refocillandus, non laboribus attendendus esset, precibus & consilio Ecclesiam juvabat. Hic veluti Didymus olim χαλκέντερος, ferreis visceribus esset, ita subibat ferebatque labores. Atque hinc spes erat maxima, fore, ut pristinae vitae & sanitati restitutus ad munera sua rediret. Postquam ergo mortuum esse nunciatum est, plangoribus & lamentationibus urbem & templa compleri audivimus. Et quis acerbissimi doloris sensum contineat, qui ex historiarum monumentis tenet, post mortes frequentes Ecclesiae Doctorum, ultrices irae divinae flammis saepe exarsisse. Quis non doleat profundae doctrinae Theologum, & mellitae inexhaustaeque facundiae Oratorem Ecclesiasticum nobis intercidisse. Nam in unum hunc Theologum virtutes, quas aliis singulas tribuit, divina largitas omnes effudit; Origenis indefessum studium, Hieronymi artem sacras literas interpretandi, Augustini de rerum sacrarum momentis judicium, Athanasii zelum, Ambrosii eloquium, Chrysostomi facundiam. Sed, cum nec jacturae nostrae magnitudinem describere, nec de ea lamenta & quaestus facere, nec in laudes Beatissimi Viri excurrere, nostrarum in praesenti partium sit, vitae ipsius rationem praescriptam trademus, in qua virtutum maximarum imago posteritati resplendet. Cunabula sua debet huic urbi, natus Anno Christi M DC XXXIX. die XXIV. Aprilis, ex familia splendidissima, ac decoris cognationibus annexa. Patrem habuit Johannem Benedictum Carpzovium, S. Theologiae Doctorem, & Professorem Publicum celeberrimum, Consistorii Electoralis & Ducalis Assessorum confirmatum, Canonicum Capituli Cizensis electum, & Archidiaconum ad S. Thomae meritissimum, Matrem Elisabetham, natam Wrieffpfenningam, virtutibus foemineis laudatissimam. Avus paternus extitit Benedictus Carpzovius, Jureconsultus, Sereniss. Electori Saxoniae a Consiliis Appellationum, Viduae Matrisque Electoralis Consiliarius, & in Vidualibus bonis Cancellarius Coldizii; Avia paterna Christina Seelfischia, Lucae Cranachii, Consulis Wittebergensis, & Pictoris longe lateque celebrati neptis: Avus maternus David Wrieffpfennig, Mercator in hac urbe spectatissimus; Avia materna, Catharina Schmidia, Goslariae oriunda. Parentes filiolum hunc suum statim in Regenerationis fonte renascendum, & salutiferis Christi mysteriis initiandum obtulerunt: deinde ab unguiculis teneris in Christianae Religionis capitibus praeformatum, dextrae fidelique culturae Praeceptorum, tum privatorum, M. Gottfriedi Reisi, postea Islebii ad S. Nicolai Pastoris, Gymnasii Inspectoris, & Consistorii Mansfeldensis Assessoris, M. Johannis Sigismundi Schwenckii, Professoris Publici, M. Tilemanni Bakhufii, tum Scholae publicae ad S. Thomae, M. Georgii Cramerii, Rectoris, M. Friederici Rappolti, Con-Rectoris, Christiani Horlemanni, Collegae Tertii commiserunt. His Magistris usque ad Annum M DC LIV. usus, pro ingenii docilitate, Latinam Graecamque Linguam, ac rudimenta artium facile arripuit, ut in lectionibus Academicis Andream Rivinum Poesin, Fridericum Rappoltum Dialecticam, Christianum Fridericum Franckensteinium Historias, Jacobum Thomaeum Moralia, Philippum Müllerum Mathematica profitentes, anno integro cum fructu Studiorum, quindecim annorum adolescens audiret, atque etiam primam Philosophiae Lauream obtineret. Anno M DC LV. Jenam missus, Hospitem suum D. Christianum Chemnitium in Theologia, Frischmuthium & Bossum in Philologicis ductores elegit; insuper sub posterioribus duobus Professoribus praesidibus, ex Philologia partim Hebraea, partim Graeca elaboratas Dissertationes defendit. Post annum ibi exactum, cum contubernali & convictore tunc suo, nunc Illustri Jcto, & Sereniss. Potentissimique Regis Poloniae, & Electoris Saxoniae Consiliario intimo Jacobo Bornio, Argentoratum abiit. Hic luminibus Academiae fulgentissimis, Johanni Schmidio, cujus convictu simul fruebatur, Dannhauero, Sebast. Schmidio, Johanni Henr. Boeclero, qua publice, qua privatim docentibus se applicuit. Antequam vero, quod proposuerat, studiorum specimen proferret in publicum, Patri, qui cum morbo graviter conflictabatur, revocanti obsecutus, ad suos mense Septembri An. LVII. rediit. Post obitum

tum ejus, supremæque ei soluta, Academiam, quam reliquerat, per Germaniæ urbes nobilissimas itinere facto repetiit. Quem circuitum suum, non inutili eorum, quæ vulgi oculos incurrunt, aspectu transegit, sed Tubingæ Wagneri, Ulmæ Zeileri, Ratisbonæ Johann. Henr. Ursini, Norimbergæ Dillherri, Altorfii Hackspanii, Heidelbergæ Joh. Henr. Hottingeri, eruditionem summam & virtutes præclaras & cognovit, & miratus est, & imitari sibi proposuit. In eadem via Francofurti ad Mœnum, Solemnibus, quibus Leopoldo Cæsari Augustissimo diadema imperiale imponebatur, visis, Argentoratum tandem attigit. Proposita jam illa, quam in animo prius habuerat, sub umbone D. Seb. Schmidii, Disputatione Theologica, Basileam contendit, allectus Johannis Buxtorffii fama, in literatura Hebraica & Rabbinica consummatissimi, & ea tempestate facile principis. Qui vir juvenem magnæ spei, in domum & convivium suum non solum libens admisit, sed &, cum ingenium singulare, & cognitionem Philologiæ Hebrææ & Theologiæ, quam jam tum tenebat, explorasset, accurate observavit. Non satis erat Lectiones in Esaiam publicas audire, privata quoque diligentia discipulum instituit. Ab hoc Doctore suo abiens, ad Rabbinos intelligendos exponendosque instructissimus, sub Anni LVIII. finem in Academiam patriam regressus est. Initio sequentis Anni Facultas Philosophica, inter Competitores primo loco positum, Magistrum Philosophiæ renunciavit. Ab hoc tempore in Cathedra Philosophica doctissimas disputationes ex Philologia Sacra habuit, & pro Loco in Facultate ea consequendo de Gigantibus disputavit. At enim, quod ad Theologiam, tanquam ad metam animum dirigeret, Theologos edecumatos, Hülfemannum, Kromayerum, Geierum, Scherzerum, Doctores secutus est; & tam sub Geieri, quam Scherzeri tutamine in arenam descendit, in qua mascule solideque theses defendit. Erat autem a Scherzero Disputatio inauguralis, pro Loco in Facultate Theologica suscepta: Verba etiam ad populum in concionibus diserte & suaviter fecit. Ita se gerens omnium judicio dignissimus fuit, ut in cathedra, sive Academica, sive Ecclesiastica alios doceret. Nunc cognoscamus, qua ratione in evehendo ad officia certamen quasi extiterit. Primum Senatus Lipsiensis sibi vindicavit, Concionatorem Sabbathicum ad S. Nicolai Anno LXII. ordinando. Idem Anno LXVIII. Ecclesiasten meridianum, postquam D. Samuel Langius diem suum obiisset; Anno LXXI. a morte D. Bosii Ecclesiasten vespertinum; An. LXXIV. in locum L. Löffleri Archi-Diaconum; An. LXXIX. D. Mayeri in Pastoratu successorem vocavit. Sed Academia Anno LXV. Professore Moraliæ; An. LXVIII. Professore Linguarum Orientalium; An. LXXXIV. Professore Theolog. Ordinarium accepit: titulis Baccalaureatus An. LXII; Licentiaturæ An. LXVIII; Doctoratus An. LXXVIII. ornavit, & in Collegium Majus Principum An. LXXIX. recepit. Jam, Doctor Theologiæ, quod simul esset Professor Linguarum Orientalium, a Facultate inter Professores admittus est. Ejusdem Decanatum Professor Ordinarius Theologiæ factus aliquoties administravit. Rectoratum Academiae ter, An. LXXIX. An. XCI. An. XCVII, gessit, quod in Natione amplissima alteri vix contigit. Post excessum D. Val. Alberti, & D. Georgii Mœbii, Sereniss. Rex Poloniæ & Elector Saxonæ Ephoriam Alumnorum Electoralium, Sereniss. Dux Saxonæ Cizensis, Assessorum Consistorii ei demandarunt: Academia vero Canonicatum Misnensem, & Decemviratum contulit. Quanta fide, quantaque dexteritate in ornandis muneribus plurimis fuerit, quid attinet in præsentis dicere, cum laus viri urbis mœnia longe excesserit. Nec numeramus Libros Philologicos pariter & Theologicos aliquam multos summo studio ac acerrimo judicio compositos, quos Orbis literatus miratur, avide quarit aut tenet. Gloria & Eloquentiæ, quæ in viro fuit, uberrima; & facultatis in interpretandis S. Scripturis, quæ incomparabilis, & peritiæ Linguarum Orientalium, quæ rara tanta est in aliquo, & acuminis, quo in refellendis adversariis pugnavit, nisi cum memoria rerum, ex recordatione hominum ac temporum fama, perire non poterit. Hæ tantæ virtutes auditores attrahebant, ut sive in suggestu templi, sive in cathedra Academiae doceret, locus aliquando non caperet omnes. In Concionibus unice intendit fidei Christianæ profectus, & vitæ emendationem, tam verbis quam exemplis efficere. Nullos labores detrectavit, nullas molestias horruit, nullum periculum fugit. Quam sæpe rauca voce, & tussientem verba ægere protrudere audivimus? vocatus ad ægros diu noctuque festinavit; etiam, quando pestis grassabatur, licet essent ad eam curam alii constituti, non solebat vitæ suæ timere, nihil de ea sollicitus, dum modo nulla ex ovibus suis periret. Verum ad domestica properandum. Primas nuptias fecit d. XIX. Octobr. Anno LXVIII. cum Virgine Regina Maria, Eximii ac Clariss. viri M. Friderici Lanckischii, Bibliopolæ, & Auctoris Concordantiarum, Biblicarum Germanicarum; ex qua filios tres & filias quatuor suscepit, Johannem Benedictum, Reginam Elisabetham, Fridericum Benedictum, Reginam Mariam, Reginam Sophiam, Gott-

Gottfriedum Benedictum, Reginam Christianam. Secundus & tertius filius, & quarto nata  
 filia vivere desierunt. Primogenitus M. Joh. Benedictus, in eo officio, quo olim pater, &  
 in eodem suggestu, ministerium Ecclesie commodare nuper cepit. Inter filias prima, Re-  
 gina Elisabetha, nupta Gottfriedo Conrado de Knorr, Mercatori Uratislaviensi, mater facta  
 est duorum liberorum, Reginae Elisabethae, & Conradi Benedicti, ante non multas hebdomadas  
 defuncti. Altera filia, M. Joh. Henricum Ernesti, Poeseos Prof. Publ. & Scholae Thomanae  
 Rectorem maritum amat, cui etiam duos liberos Johannem Benedictum, & Reginam  
 Mariam genuit. Tertius filius, Gottfried Benedictus, Juris Studio in hac Academia incumbit.  
 Mortua hac prima conjugē d. 27. Octobr. An. LXXX. quod ipsi non esset integrum familiam  
 regere, ad secunda vota transiit, duxitque d. 22. Novembr. An. LXXXI. Virginem Annam Kuni-  
 gundam, Viri spectatissimi, Johannis Göringii, Civis & Pharmacopaei Stetinenfis, filiam. Ista  
 liberos edidit Johannem Kunigundam, Christianum Benedictum, Conradum Benedictum,  
 Benedictam Kunigundam, Augustum Benedictum, Samuelem Benedictum, Annam Kunigun-  
 dam. E quo numero soli duo filii primus & ultimus supersunt. Verum, cum & hoc alterum  
 conjugium in summa animorum concordia felicissimum d. 12. Maji An. XCIV. mors dirupisset,  
 viduus autem uxoris opera, tum in educandis liberis, tum in rei familiaris cura carere non pos-  
 set, Conjugem tertiam, d. 18. Junii An. XCV. sibi adjunxit, Amaliam, natam Welschiam, Johan-  
 nis Rudolphi, Mercatoris celebris, & in eo ordine Tribuni, viduam. Et haec uxoris priori-  
 bus nihil concessit, tum amore erga Maritum, tum sollicitudine de liberis, sive quos invenerat,  
 sive quos ipsa adjecerat pariendo filios, Amalium Benedictum, & Ulricum Benedictum. Ulti-  
 ma vitae ut tandem exponamus, Beatissimus Vir, per aliquot hebdomadas, valde lassum corporis  
 membris se incedere dixit: die XVII Martii, cum duas conciones uno eo die, quod alias saepe sole-  
 bat, habuisset, & post alteram funebrem absolutam, Superintendentem suum, in morbo cuban-  
 tem, qui nocte deinde mortem intulit, invisisset, ipse valde debilis, horrens, tussiens, capitis  
 gravedinem & dolores cervicis, brachiorum, pedum sentiens domum rediit. Haec calor sat in-  
 tensus, & inquietudo in sequebantur: Signa esse febris catarrhactalis existimabantur: die XX. æ-  
 stus desuit, & aliqua quies ægroto fuit: ad vesperam diei XXII somnus non expectatus eum obru-  
 it; e quo noctu quidem evigilavit, torpor tamen spirituum animalium remansit, integro se-  
 quenti die, usq; ad horam fere octavam continuus. Ægritudinis tempore, Vir beatissimus, etsi  
 tam tristem exitum nemo facile metueret, ipseq; cum cognatis & amicis voce valida colloque-  
 retur, & de rebus officii disponderet & mandaret, nihilominus gravioris morbi hujus, quam al-  
 terius, quem sustinuerat ante, insultus percipiens, efficacissimas Verbi divini sententias in ani-  
 mum sibi revocavit, monuitq; nunc se expertum tenere, ob quam rem multi hominum, in quo-  
 rum exequiis conciones fecisset, in unam eandemque tam saepe consenserint; manibus com-  
 positis preces fudit, cantionibus passionibus & funebribus fiduciam suam crexit: Die XXIII  
 ante meridiem, edita confessione peccatorum, sanctum *εὐδίου* maxima devotione sumsit, & in  
 sanctis meditationibus, tum suis, tum quas Confessionarius ejus, L. Immanuel Horn, ceteri-  
 que Collegæ, atque cognati, qui aderant, suggerere, perseveravit, donec non diu post horam  
 IX. noctis, inter eorundem preces & suspiria, in cœlum, unde ortum traxit, redituram ani-  
 mam placidissime exspiravit. Annum vitae LIX menses XI pene excedunt. Cum de vita  
 & obitu Johannis Chrysofomi Palladius, Episcopus Hellenopolitanus, quem græce latineque  
 Parisiis Emericus Bigotius in lucem dedit, finiisset, ait: *Acquiescit demum liberatus ab ærumno-  
 so corpore, ut a vitioso hospitio, ruinam minante. Aurem arrexit ad eum, qui dixit: Euge,  
 serve bone & fidelis, auditurus & reliqua, Matth. XXV, 21.* Et ad defunctum conversus; *Tibi  
 vero, inquit, B. Johannes, quibus ex verbis Tibi immarcescibilem coronam conficiam, contextamque  
 imponam, post exitum e vita hujus stadio Te laudibus efferre non timens. Evasisti enim procellam:  
 An Mosaicorum illorum sterculorum coronam texam, quos dedit ille, qui benedixit actuosum Joseph,  
 (Deut. XXXIII, 13.) & contemplativum Levi Sacerdotem? In Te enim utrumque video.* Ad JO-  
 HANNEM BENEDICTUM CARPZOVIUM nostra quoq; se convertit oratio: Tu, Vir DEI,  
 fiducia Servatoris, quem nobis prædicasti, Spiritum, DEO a quo acceperas, corporis ærumnosi  
 vinculis liberum, reddidisti ad immortalē, quam in cœlo præparatam tibi noveras salutē. Au-  
 didisti vocem Christi: Veni Benedicte! Venisti, & hæreditatem cœlestem tenes. Quam coronam tibi  
 texemus? nullam: nam gloriæ coronam, a DEO impositam gestas, nostram non desideras. Corpus,  
 e quo Beatissima Anima excessit, in Sacra Æde Thomana tumulatum est prope suggestum, quem  
 voce sua ac spiritu, triginta annis & ultra, animavit. Exequiarum officium hodie post horam I.  
 persolvendum est. Ad quod, Cives Academici, pluribus vos hortari, hac quidem vice supersede-  
 mus, cum id sua sponte præstituros putemus, multos ad amplissimæ familiæ honorem & solati-  
 um, omnes, ne erga virtutes & merita defuncti ingrati fuisse videantur. Caterum DEUM im-  
 mortalem oramus, ut, qua potentia pariter est & bonitate, Ecclesiam & Academiam  
 tegat, fervet, ornet. P.P. die XXX Martii Anno Christ. M DCIC.



FK La 5020

ULB Halle 3  
002 727 501



1007

110





RECT  
UNIVERSITAT  
Ad Justa Fu  
THEOLOGO  
DN

JO. BENI  
CARPZ

S. Theologiae Doc  
Publico celeberrimo, Fa  
niori & jam Decano, Consiste  
fessori, Canonico Misfenensi,  
Ephoro, Academiae Dec  
Principum Collegiato  
bene me

*hodie XXX. M*

folv

CIVES SUC



O  
fori  
æ Se  
lis Af  
lium  
oris

ist  
net  
ge  
uf  
ten  
nes  
ret  
pre  
er  
ge  
ihn  
nen  
ten  
der  
pat/  
an  
hes  
im  
hre  
tere  
hna  
eifi  
das  
und  
gen  
be  
vor  
und  
und  
un  
inen  
und  
nd

Re-

